

Habita iam ascensione recta in æquinoctiali, arcum ipsius eclipticæ cum eo ascendentem in sphaera recta cognoscere.

Pronunciatū hoc quoque inuertit quod superior docuerat, atque ideo quā multū cōueniūt ambæ illæ, diutius hic nō immorabimur ostendendo, quō ascensio recta debeat intelligi, sed prætermisissis ambagibus & inuolutis uerbis, ad ipsam statim operationem ueniamus. Vbi iam noris, qualis declinatio eclipticæ sit penes arcum æquinoctialis, ex superiori propositione ascensionē eclipticæ cum æquinoctiali facile inuenies hoc modo. Si multiplices sinum declinationis cū toto sinu, & productū diuidas cum sinu maximæ declinationis  $\odot$ , arcus quotientis monstrabit tibi arcum eclipticæ, qui cum arcu æquatoris ascendit in sphaera recta. Habe eius rei hoc tibi exemplū. Sit arcus æquatoris à principio æquinoctialis 60. gra. 21. mi. declinatio autē eclipticæ in eo loco 20. gra. 42. mi. sinus eius 35347. sinū hunc ubi duxeris in totū sinū, productū inde diuiseris in sinū rectū maximæ declinationis solis, puta 39874. puenient in quotiente 88647. scilicet ij gradus sunt 62. mi. 26. hoc ipsum si numerem à principio  $\vee$ , desinet numerus in 2. gra. 26. mi. II ubi sol fuit hora intronizationis. Etsi autē modus ille nō sit uerus ac solidus, quū usurpari nequeat in arcu æquatoris, sed ad declinationē tm̄, nolui tm̄ & hunc ipsum te latere, ne quid haberes ambiguū in ijs quæ obiter tibi circa hanc rem possent offerri & incidere. Alia & ea quidē aptissima operatio hæc est, si propositum habes arcum æquatoris, iamque cupis inuenire arcum suum coascendentem in ecliptica, multiplica principio sinū cōplementi arcus æquinoctialis propositi, si saltem sit quadrante minor, cum sinu maximæ declinationis, productū inde diuide per sinum totum, & subtracto quotientis arcu à 90. sinum residui tibi propone, simulque sinū arcus propositi æquatoris, uter eorum fuerit minor, multiplicandus erit cum toto sinu, productumque diuidendū in sinum maiore, & tunc arcus quotientis monstrabit tibi arcū eclipticæ, qui cum arcu æquatoris proposito ascendit in sphaera recta. Iam autē fixo hic pede priusquam ulterius in regula progrediamur, lubet exemplo rem apertius declarare, quā adhuc operatio in recenti memoria hæret. Esto ut hora intronizationis  $\odot$  in ascensione recta cōtigerit 60. gra. 21. mi. ego autē cupiā scire gradū  $\odot$  in ecliptica, eum facile cognoscā si quæsero arcum eclipticæ, qui cum arcu æquatoris ascendit in sphaera recta: itaque quū duco sinum complementi arcus propositi æquatoris, scilicet 29. gra. 39. mi. 49471, in sinum maximæ declinationis solis, puta 39874. productū diuido cum sinu toto, prodibunt in quotiente 19726. arcus eius est 11. gra. 23. mi. Complementū uero 78. gra. 37. mi. habet in sinu propositi arcus æquatoris 86906. sinū illum (quā minimus est) multiplico cum toto, productū diuido in maiore, & puenient in quotiente 88647. arcus eius est 62. gra. 26. mi. atque is est arcus eclipticæ simul ascendēs cū arcu æquatoris proposito in sphaera recta, tunc si reijciā 60. hoc est 2. signa remanebunt 2. gra. 26. mi. II. Quod si autē arcus propositus æquatoris maior sit quā 90. & tū minor quā 180. subduc eum à semicirculo, & deinde cū residuo operare modo prædicto. atque qui numerus postremo inuentus uerus nō est, nisi eum à semicirculo subtrahes, tunc tandem manebit arcus quæsitus, quē semper numerabis à principio  $\vee$ . Quid uero si arcus propositus æquatoris fuerit semicirculo maior: tunc sanè subtrahere semicirculū gra. 108. & cum eo, quod reliquū manet, operare sicut edoctus es antea. Ad extremū quū omnia iam perfeceris, adhuc adde 180. & sic demū habebis arcum eclipticæ, quē tam operose hæctenus inquirebas.

## PRONVNCIATVM IX.

Quum arcum aliquē eclipticæ cognoscere cupis, cum quo æqualis arcus æquatoris ascendit in sphaera recta, iamque principiū siue terminus illius arcus tibi innotuit, alterum quoque terminum ex artificiosa supputatione colligere.

Arcum hic eclipticæ intellige inter duo signa cardinalia interclusum, ut inter  $\vee$  & primū mi.  $\ominus$ , inter primū punctū  $\ominus$  & primū mi.  $\ominus$ , similiter inter  $\ominus$  &  $\psi$ , &  $\psi$  &  $\vee$ , ibi sanè talis erit operatio. Eius termini, siue principij tandē siue finis tibi cogniti quære declinationē per propositionē 5. declinationis illius sinum cōplementi tibi propone, simulque si

d num com